QUÆSTIO MEDICA.

Quodlibetariis disputationibus manè discutienda in Scholis Medicorum, die jovis 15. Januarii 1705.

M. Petro Azevedo, Doctore Medico, Præside.

An Spiritus Animales ad Sensum & motum necessarii.

I.

Quàm varii corporis humani motus! quàm assidui! hominem, machinam multis machinamentis constructam dicas ad motum productam, tota hominis vita motus dispositione mecanica factus: hujusmodi dispositionem bene sciet qui animati automatis structuram non perfunctoriè intellexerit. Ut hunc scientiæ apicem attingas, non tam Anatomicorum tabulas cælatura leniori expressas quam ipsum corpus evolve. hujus in rimanda fabrica, cognoscendisque partibus, non aliorum opininione; sed ipsa veritate frangaris: æquum enim est autoritati aliquando cedere, æquius tamen in tanta re, ratione & experientia quam autoritate superari. duplici vivimus substantiâ, movemur, sentimus, fluidâ nempè & solidâ: hæc ubique tensa & ad osillandum proclivis, illa nullibi non agitata & ad currendum prona. Solidarum partium congeries minutissima fibra quæ variè producta membranas, vasa omnia, glandulas, nervos, musculares fibras concinnè retexunt; aut ulteriùs constrictæ tendines & cartilagines componunt; aut ossa compingunt ad eburneam usque duritiem compacta. Quamvis cujuslibet fibræ magnus sit elater, iners & trunci instar esset humanum corpus iis solum filamentis compaginatum. Nil virgâ aut ferri lamellâ ad resiliendum aptius, in pertinacissima tamen quiete permansurâ, nisi ab aliqua causa inflectatur. Vis quâ contracta corpora assultim moventur, à materia ætherea repetenda, quæ in resultantium corporum moleculas vim cunei exercet. Continuatio motus projectionis in corporibus inflexis quam tantopere quidam crepant, anile commentum; inflexa virga motus impetu projectionis productus, in termino inflexionis se-

mel extinctus, nunquam Spontè Sua reviviscet, nulla alia instigante causa. Solidæ etiam partes vivifico irrigatæ Succo tenduntur, micant, elatere Subsiliunt. hic Succus Sanguis diversissimis ornatus particulis, quarum vario Situ, nexu, configuratione, occursu, ætheris influentis transitus præpeditur, unde princeps omnium motuum intestina Sanguinis motio excitatur. hujusmodi particularum varietatem Sanguini chylus infert. De chylo quid interrogas? alimenta Sunt dentibus comminuta, in massam redacta, potus humore imbuta, ventriculi calore fota atque Spontè fermentescentia: ventriculi fibrarum quassus huic operi absolvendo impar. fermentum è glandulis deplicens nullum. Succus Salivalis & gastricus, viæ alimentorum lubricandæ, fibrisque contra asperiorem ciborum affrictum muniendis Solummodo inserviunt; Salsos esse objicis? naturamque fermenti Sapere? proletarii certè Saporis argumento duceris: non omnia Salsa fermentum; neque illâ lymphâ, fermenti licet hac energia polleret, tam varia dissolverentur edulia: unius quippe clavis ope ægrè recluduntur plures Serræ. Satis alimenta in Se habent, quæ benè fermentescere possunt; plantarum Succi, mustum, cerevisia, cisara absque ullius fermenti vi, intestino rapiuntur motu. Nec te decipiat felicior hujus quam alterius cibi digestio; quidam carnibus vescentes benè habent, lacte læduntur, hoc dependet ex varia ventriculi natura, cui hæc alimentorum fermentatio blanditur, alia displicet & incommodat; Sicut aliquibus Solus quorumdam ciborum (quos alii in deliciis habent) aspectus Seu olfactus nauseæ est; ita ventriculus hoc aut illo edulio benè aut malè afficitur. Verum in his est Suus cuique mos, Sua voluptas. Præter has quibus corpus constat Substantias, aliam curiosus quæris nervorum & cerebri incolam, æthream, radiorum Solis æmulam? falleris Splendore nominum captus, in Scirpo nodum quæris; nec te moveant malè illa intellecta τα ischonta è ormonta e ischomena Somata. Ex analytica illa partitione Spiritus animales deducis? rem melius perpende; Solidiores corporis partes continentia corpora Sunt, viscera in his continentur, impetum facit agitatus Sanguis, à quo omnia mobilitantur. Si enim licet parvis magna conferre, totam hominis fabricam Moletrinam aquariam dixeris, in qua Sanguis decur-

rens liquor est, quo rota fusio instructa identidem regyratur, rota dura meninx, systolem & diastolem ordinate reciprocans, cor pistrinarium crepitaculum; ventriculus infundibulum mentitur.

II.

Cuinam hominis bono Spiritus animales datos esse existimas? anne ut sint animæ cum corpore vinculum? quasi substantia incorporea cum materia, subtilioris interventu commodius uniatur, id vanum platonis somnium. eadem sanè reperitur discrepantia materiam inter quamtumvis subtilissimam & animam ac inter istam & mentem: partium enim tenuitas materiæ proprietatibus nunquam exuitur. Spirituum animalium radiosa materies in cerebro facta (an melius dicas in cerebro ficta?) corpori necessaria, si forte ad animalis functiones utcumque utilis; harum præcipuæ sunt sensus & motus per quos vivens animal ab inanimo distinguitur. Sensuum & motuum principium cerebrum, regia animæ sublimibus alta columnis, quæ in eleganti invisa tamen compendiarii homunciomis adumbratione delitescens prima post conceptum micare incipit. Globosa cerebri compages duplici instruitur substantia, membranosa una, molli & friabili altera: membranosam pia & dura mater constituunt; his alba medullaris dicta intimè obvolvitur & undique circumducitur: hujusmodi substantia glandularum & minutissimorum lymphæ ductuum aggeries est, viscidâ lymphâ semper scatentium. glandularum? sic est, totum enim ὁ ἐγκέφαλος ἴκελος ἀδένι. atque profecto μείζων ὁ ἐγκέφαλος τῶν ἄλλων ἀδένων. meditullii, corporis callosi, substantiæ corticalis dignitas & officium anatomicorum affaniæ ineptæ. errant qui hoc album corpus fibrosum esse statuunt. meditullii materia thymo non absimilis presso simillima lacti sui generis lympha est, quæ ad aëris accessum statim spissescit, atque post animalis mortem particulis ipsius prorsùs quiescentibus illicò condensatur. ridendi omninò quos ità laudis cupido tenet, ut se in molli cerebri substantia, nervorum principia interstinguere glorientur, opera sua versuti mangones. nervorum sicut vasorum omnium principium nullum; propagines enim sunt fibrarum a dura meninge exeuntium, quarum circulo facto principium non invenias. Nervum quemlibet, parvum cerebrum dicas, magno præditum robore; in quo tunica & quicquid fibrosum est, cerebri debetur membranæ: ne quis nimium antiquitati indulgens, hoc inventum tanquam neotericum & nuper

domi nostræ natum aspernandum existimet; oculorum nervos à cerebri membrana proficisci & sonum per eamdem audiri, jam olim credidit veneranda antiquitas. nullis enim vel lynceis oculis aut artificioso munitis vitro, ullæ apparebunt in medullari substantia conspiciendæ fibræ, dummodo illi densa opinionis caligine obscurati non cæcutiant. adhuc dubitas? & in his substantiæ medullaris fibris (imaginariis tamen) ineptè irretiris? nodos tibi solvet cerebrum bovinum planè lapideum sensu tamen & motu integrè manentibus usque ad animalis mactationem; nec hoc tantum Parisiis visum; simile prorsus in quodam Patavii pago, atque in Prædio Oxenstirniano observatum fuisse, Medicorum monumenta testantur: hinc mirum minimè videri debet quamplurimos capite vulneratos, magna hujusce substantiæ amissa portione, sine ullo sensûs aut motûs detrimento feliciter convaluisse. quid ergo? si tanta sit in œconomia humana duræ meningis auctoritas? quem usum habeat vasta medullaris substantiæ moles in tenui membrana recondita, totiusque cranii cavitatem implens? supervacaneane natura in suis operibus? nil minus: omnia naturæ opera valdè utilia, maximè necessaria: mollis ista materies, quam meninges superintegunt, quam opportuna toti fabricæ! quam accommoda! universa cerebri substantia fulcimento est duræ matri, quæ illius terminos quasi metam contingens, nequaquam prætergreditur nisi lacessita, nisi desultoriè agitata: ut in motibus convulsivis; in quibus quædam ejus fibræ à regulari systoles ac diastoles motu desciscentes, inordinatè crispantur; quibus medicaturus spirituum quas ais seditiones, motosque fluctus alkalibus volatilibus semper componere satages? equo calcar addis sponte currenti: frustra in spirituum (qui nulli sunt) defœcatione procuranda discruciaris, si convulsionem delinire meditaris: huic enim muneri incumbens, balsamicorum mollitudine, absorbentium asperitate, diluentium humore, narcoticorum blandimentis plus aliquando efficies, quam mille volatilium incitamentis ignis spoliis. Non solum alba illa substantia membranis, nervis atque fibris alimentum suppeditat, sed etiam debitam ipsis præbet intensionem: spinalis medulla & nervi hâc materiâ, id est spissâ lymphâ infarcti & ubique delibuti, inflecti habiles, neque motibus arescentes: in fortibus objectorum impressionibus ad cerebri membranas usque propagatis, totum haud dubiè convelleretur nervosum systema, nisi harum impressionum impetus hujusmodi materiæ

lentor temperaret & quadantenus leniret.

III.

Omnia Sensuum organa nervis investiuntur, quæ diversimodè fabrefacta cunctis ferè animalibus, saltem perfectioribus sunt communia: Sensus, sicut & animalis motus, quarumdam partium corporis agitationes sunt. quemadmodum diversa est pro unoquoque Sensu organorum compages; pariter varia est rerum sensibilium textura & indoles. harum plures reperiuntur species juxta molecularum varietatem plurimum inter se discrepantes. Sensuum organa multipliciter afficiuntur; lumine aut intermedio aëre, aut objecti ad organa appulsu, aut effluviis à re sensibili emanantibus; quæ gustui vel contactui inserviunt, organis applicata sentiuntur; quæ olfactui per effluvia ab ipsis decidua; visionem peragit lumen à corporibus reflexum, ex cujus diversa reflectionis modificatione amœnissimæ exurgunt colorum differentiæ; auditum afficit tremens aër corporis resiliendi virtute præditi ictibus verberatus; unde resonantia corpora, machinâ pneumaticâ inclusa, aëre subducto, obmutescunt. Sensum fieri spiritibus (nescio quibus) per pulsatos nervos ad emporium (ità loqui amant) usque undulantibus quidam somniarunt; verum quæ undulatio exigui liquoris & in pumicoso, flexuosoque nervorum tractu contenti? quæ undulationis directio in humore in contrariam currente partem? effrenatius effutiunt qui hos, quibus hallucinantur, spiritus retrogrado ad cerebrum cursu in omni sentiendi actione ferri contendunt: spiritus in nervis, tanquam iners, si stagnarent, palus, certè quò impellerentur, ultro abirent; ast rivulos dicis esse, è cerebro ad diversas provincias profluentes, magna præditos fluiditate, arteriarum & duræ meningis impulsos ictibus, cur ergo vel levissimi pili attactu ad originem versi recurrent? Sed hæc gerronum commenta pueros ludificantia: totus sentiendi actus perficitur certis quibusdam nervorum motibus duræ communicatis meningi, qui si moderati sensum; violenti dolorem producunt. Duplex verò est animalis motus, aut purè mechanicus, aut voluntati subjectus, qui quamvis mechanicus etiam sit cùm ab anima determinetur, hoc nomine ab alio distinguitur: purè mechanicus hominibus & brutis communis, à rebus quæ nos circumstant, vel quæ in nobis insunt, machinam commoventibus excitatur: sic belluæ propter sui structuram moveri aptissimam admirabiles edunt motiones nullo rationis instinctu ductæ, sed impulsu externarum aut

internarum rerum agitata. inter mechanicas corporis agitationes, necessarios vitæ naturalesque motus dinumerabis; tales sunt membranarum cerebri motus, cordis respirationis & intestinorum peristalticus. hujusmodi œconomiæ necessarias motiones animæ ditione liberas, fibræ musculares & nervosæ, intestina sanguinis motione, blandoque allapsu ipsarum elaterem diducente aptè exequuntur. palam est retardari aut nimium concitari istorum motuum ordinem & energiam sanguinis intensiore vel languidiore fermentationis motu facto; quid frontem contrahis? fermentescit profecto sanguis, non fermento quodam; sed solo alimentorum succo, quo ille conficitur: fermentationem demonstrat purpureus color, qui in animalium sanguine solum plantis vescentium semper conspicitur, quem nunquam inducent pinsendo fibræ, aut oscillando solidorum firmus elater. Animalis motus musculorum ope fit ingentem vectis & hypomochli potentiam æquantium: unicuique musculo alter opponitur antagonista tanquam sacoma quoddam diversæ actioni exercendæ dicatum: potentiæ musculorum velut paribus examinatæ ponderibus in nullam partem inclinantes quiescentibus perstant musculis; induciæ dirimuntur, æquilibriumque tollitur, cum alter alterius potentiam superaverit, vel aliqua re determinante, vel imperante anima; hæc non impulsu agit, non attactu, quorum omninò expers; cogitat tamen occasione corporis. cogitationibus mentis corpus auscultari servitutis authoramentum; agitationibus corporis mentem subjici ditionis servitus est: adeò intima est utriusque substantiæ concors discordia, ut nescias, an cogitare moveri sit, an moveri cogitare.

IV.

Concinnius corporis humani motus, sentiendique actum nulla spirituum animalium ope aut influxu effici; ipsa naturæ simplicitas, elegansque partium structura planè suadent. adminiculorum multitudinem in operibus suis natura respuit: quæ uno aptè miranda potest instrumento præstare. à dura meninge exporrecti [illegible] in universum corpus nervi, veluti chordæ musicæ tensi sunt, qui rebus sensibilibus pulsati tremula quadam vibratione concutiuntur. in hoc nervorum tremulo subsultu tota sensûs & motûs versatur ratio; id evincit omnimoda in paralysi illorum deperditio tam diu duratura quandiu illa abfuerit nervis resiliendi libertas. objecti percutientis vi excitatus in organis

motus fibris duræ meningis trementi respondentibus nervos potissimum propagatur: vult hoc directio, patitur continuatio, fert etiam elater. diversas fibrarum meningis commotiones variæ mentis ideæ, perceptionesque consequentur; toties rediture, etiam absente objecto quoties eodem modo fibræ movebuntur, ex quarum repetita agitatione animus repetit illa quæ fuerunt; quod memoria vocatur; sic illius rei, quam sæpiùs tractasti bellissimè memineris, propter majorem fibris ad taliter oscillandum comparatam assuetudinem. ergo præcipuum animæ domicilium dura mater? ita sanè. hoc novum credis? opinio est Erasistrato suppar ætate, jam inde usque ab vetussimis sæculis promulgata. hujusce membranæ structura ita est comparata, ut si quædam ejus fibræ ab aliqua causa contremiscant, statim aliæ vel viciniâ conjunctæ, vel illorum directione cum illis communicantes agitentur; atque continuò nervis ex ipsis coalescentibus reflexos retorqueant motus; ex hoc mirando fibrarum rhytmo plures corporis motus deducuntur nulla animæ ope designati; huic enim veritati suffragatur diaphragmatis sternutationem molientis impulsus, levi membranæ nares obtegentis vellicatione concitatus: illinc totus dependet partium consensus, conspiratio, ordinata concordia; belluarum gesticulationes humanam industriam interdum superantes ab illo fonte dimanant. in omni sensu & motu agitati nervi absque spiritibus necessariò contrahuntur; id norunt qui energiam percussionis apprimè calluerint, nervorumque naturam fuerint diligenter meditati. componuntur hi ex villis contractilibus, qui ad minimam vibrationem abbreviari necesse habent: tanta enim est illorum ad sese contrahendum aptitudo, ut è corpore animantis avulsos nervos penitus resiccatos si extendas, extensosque abscideris, videas illos in utramque partem contrahi & celeriter corrugari: quid mirum? an non hanc spontaneam contractionem non solum animalium fibræ, sed etiam plantarum affectare videntur? pulcherrimum præbet exemplum stupenda planta sensitiva dicta, cujus si ramulos tetigeris, quandam contractionis speciem præ seferunt: an hoc spiritibus plantæ? an eximio fibrarum ejus tribuendum sit elateri? tu absque præjudicio videris. neque ad musculorum motum quo ingentia sublevantur pondera spiritibus madescentes fibras causeris, ingentis molis funibus madefactis erectæ analogismo deceptus: filamenta cannabina, ante sicca, humore jam imbuta poterunt abbreviari, appensumque trahere pondus; at musculi fibræ lymphâ & san-

guine semper irroratæ nunquam breviores fient, largiori quamvis Spirituum inundatione perfusæ. Neque multò levius peccant qui musculos tanquam catapultas, aut igniarias fistulas certo nitrati & sulphurei liquoris modulo instruunt; illos in musculis conflictus, pugnas, explosiones, jam tandem explode malè sane medicinæ miles: denudatum animalis viventis musculum & in Spiritum vini demersum si cultro dissecueris, nullas animadvertes agitati äeris bullas ascendere fermentationis violentissimæ, quæ tunc in convulso fieret musculo, necessarius effectus. qui magna vi aut conamine quicquam molitur, à motu cum vellet non desisteret, nisi postquam motus fermentationis in musculis inceptus extingueretur. musculi & nervorum fabrica satis est, quæ si forma sanguineque animata, unica est motuum omnium origo & radix: musculine structuram sciscitaris? fibrarum est collectio ita conformata, ut mediæ musculi carnes parallelopipedum obliquangulum constituant, tendines verò oppositi duo prismata tetragona componant, qui ossibus utrimque firmiter alligantur, caput musculi parti immobili, mobili verò cauda. duplicem membranam, musculi integumentum, arteria, vena, lymphæ ductus & nervus subeunt, quò enim musculus est mole amplior, usuque frequentior, eò crassiorem sortitur nervum; qui plures ramos per totum musculi ventrem emittit, vasa omnia circumducentes. Carneam quamlibet fibram ordinata vesicularum componit series: quæ sanguinem ex arteriis suscipientes in hiantia venarum oscula terminantur; remorato in vesiculis sanguine, fibræ ex uno tendine in alium obliquè ductæ à se invicem recedant necesse est, quia turgescunt; ex quarum inflatione area musculi brevior, sed latior efficitur, lateribus duobus longiùs abscedentibus, propter fibrarum propius adductas & obtusiores factos angulos: hoc artificio intumefacto musculo pars mobilis & appensa retrahitur. cursum sanguinis per vesiculas precludit vibratus nervus, qui dum voluntatis jussu vel externo objecto movetur, vasa sanguinea comprimit & ramulis suis contractus inuncat. Sanguis ergo & nervorum musculorum elater muscularem motum absolvunt, hic premendo, ille dilatando. hanc simplicissimam naturæ artem animadvertes in penis erectione, qui quadam voluptatis titillatione agitatis nervis, ac proinde sanguine in cavernosis corporibus penitus stagnante, tumet aphrodisiasmo inhians, quo jam transacto, erogataque seminis portione, glandula

seminales concidunt, nervique contracti propterea retenduntur, Sanguine intermissum repetente cursum. hujusmodi nervorum contractionem adhuc non potes capere? vivi animalis denudatum nervum vel leviter tantum vellicato, videas statim illum contrahi, atque annexum musculum convulsione tentari.

V.

Ad omnia animati corporis phænomena explicanda, nihil in Medicorum ore frequentius, quam Spirituum animalium nomen; nihil ineptius hac ad nauseam usque repetita cantilena. Semper in rebus naturalibus opinioni nimis anxie litare, caecutientis ingenii est ductore indigentis. ut bene currere non potest, qui pedem ponere studet in alienum tantum vestigiis, ita nec bene naturam noscere, qui vulgarem sententiam potius quam ipsam naturam insectatur. qui hac Spirituum animalium delectatur hypothesi, cursum Sanguinis & nervorum elaterem negligentes, Spirituum larva decipiuntur. quid opus est Spiritûs animalis movendo corpori? cui nervorum elater satis est, sufficit Sanguis: quo pacto corpus ad sensum & motum turgesceret? qui tubulos (quos maxime isti permeare dicuntur) ne tantillum extendunt. ligato nervo, nec minimus supra ligaturam tumor conspicitur. Sanguine vero omnia expanduntur, vivunt, moventur: hinc ligatâ prope cor äortâ descendente, posteriores partes motu orbatæ satiscunt. Sanguini multos inesse Spiritus reclamas? sic res se habet; partes Sanguinis intellige, fermentatione evolutas, at nullibi secernendas: cur ergo à Sanguine secernerentur particulæ quæ debent istum ad circulandum actuare, fovere, reddere fluxiliorem? quam calamitosam vitam ducerent! quam causariam! laboribus deditis; si horum nervi à torrente Sanguinis, præcipuam illarum particularum copiam combiberent, motibus interim musculorum tam assiduè impendendam. hujusmodi particularum supellectile privatus Sanguis ad concrescendum pronus, ad vitam ineptus. id animadvertes in Syncope in qua homo vivit cadaver, aut sublimioribus in auras particulis avolantibus, aut iisdem nimium involutis aut depressis; unde solidarum partium intensio languet, otiatur elater, quem ut redintegres, in primo casu sulphureas Sanguinis partes valdè laceratas, vel penitus exesas acidi salibus acubus resarcito, aquosis incendium restingue: sic exhalantis Sanguinis particulæ quadantenus cohibitæ, iterum partes pulsando solidas circulationis valvas aperient; in secundo, Sanguinis acido veluti inebriati soporem exsuscitato volatilibus, alkalibus, mochlyeis, ligaturis, frictionibus, clamoribus, ut ille resurgens solidorum elaterem arietando restituat. quantum

conferat animalis functionibus probus Sanguis, satis capiet qui ægrotantes norit, quorum multo pars maxima vitioso laborat Sanguine. depravatè sentire, membra malè regere, ad minimum labantia motum: frustra hic ad inopiam, vitiumque Spirituum animalium confugeris, ubi Sanguinis depravata Crasis, visque fibrarum Systaltica immutata palam se offerunt, illius effectus veriores & sensibiliores causæ; debet enim ad rectam partium constitutionem, functionumque integritatem, fibras inter & Sanguinem, mutua reperiri proportio; hanc tuentur nervi dociles, liberi, benè tensi; Sanguis leniter fermentescens, expeditus, debita congestus quantitate: harum rerum si qua defecerit, functiones corruunt, aut obliquo claudicant pede. Sic lympha sale caustico imbuta, ut in hectica, phthisi, marasmo, melancholia & Scorbuto, resiccatis fibris corrugatisque, impropere secretiones fiunt, languent vires, Sanguis malè regitur. In convulsione, motibusque convulsivis, iisdem fibris veluti rebellantibus, Sanguis inordinatè impellitur, sistitur, exardescit, exundat. in tumoribus, inflammationibus, luxationibusque propter nervos se movere nequeuntes; stagnat, lentè micat, ægre gyratur in apoplexia, paralysi ob ipsarum fibrarum laxam compagem. e contra nimis exæstuante Sanguine, ut in febribus, tenduntur præternaturam fibræ; remorato stupent, aquoso languent, acriori exsiliunt. Nervorum compages non modo stylo cuivis impervia est, sed & perspicillum nullam his cavitatem adesse confirmat. at Spiritus animales subtilissimos esse obmurmuras? auræ simillimos, quamvis imperviam facilè subituros, o subtilem fabellam! ipsa multò subtiliorem Spiritibus: nervo aut tendine penitùs absciso, partis subjectæ motus omninò perit, bellè resuscitandus, si statim ac diligenter divisos tendines aut nervos sutura deligaveris: artem nescis? chirurgos consule; hi ultro te docebunt, in sutura extremitatem unam præscisi tendinis aut nervi supra aliam imponi; ita partes uniuntur, ganglionque formatur, fibrarum continuatione penitùs interrupta, quænam tunc mutua tubulorum communicatio? quænam tandem Spirituum via? nulla sanè, manet tamen in parte motus, quia restituitur deperditus fibrarum elater; quo nervus vasa possit deinceps comprimere, musculi cavitatem penetrantia. Si cui vel invito maximè ac renitenti brachium magna vi inflectas, musculi superiores (velut cum illud sponte incurvatur) tumescunt: non Spiritibus animalibus, qui tantum ex mandato

animæ, ad motum musculorum influere supponuntur, sed Sanguine qui nervorum vibratione in musculis retinetur. Si dubitas, posse in musculis per majorem nervorum vibrationem, Sanguinem retardari, affectus animi observa, et lætitiam, pudorem, libidinem &c. qui diversi cum sint duræ meningis & nervorum motus, Sanguinem in vultu, præcordiis aliisve partibus, restagnantem remorantur. observatione compertum est ligatis quibusdam carneis fibris, juxta ligaturam conspicuum tumorem apparere cui si vulnus inflixeris, Sanguinem mox erumpere animadvertes, fibris iisdem resolutis & à contractione cessantibus.

Ergo ad sensum & motum Spiritus animales non necessarii.

Proponebat Parisiis Joannes franciscus Couthier, vitellensis, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1705.